

Dissertationem inauguralem de febre petechiali ... / submittet ... J.H. Schmidt.

Contributors

Schmidt, Johann Heinrich, active 1684-1691.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorffii : Literis Schönnerstaedtianis, [1685]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kk2nk8ww>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ARCHIATRO SUPREMO
DUCE AC PRÆSIDE

Ex Decreto

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ ALTDORFFINÆ

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

De

FEBRE PE-
TECHIALI

PRO LICENTIA

Summos in arte Apollineâ honores

AC


PRIVILEGIA DOCTORALIA

Ritu majorum solenniter & legitime capeßendi

PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

Ad d. 26. JUN. A. M DC LXXXV.

JOH. HENRICUS Schmidt /
Svinfurtensis.



ALTDORFFI

LITERIS SCHÖNNERSTÆDTIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS
OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS
OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS
OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS
OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS
OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



PRÆFAMEN.

Constitui equidem Thematis mei rubricam *Melancholia Hypochondriaca* consignare, præprimis quia ferè ad calcem usque Materia hæc à me elaborata fuerat; at cùm illius prolixitas consuetam Dissertationis molem exsuperasset, & insuper temporis angustia eam prælo subicere prohibuisset, animum cum penna dejeci, commodiori illam reservaturus occasione. Sisto itaq; B. L. *Febrim Petechialem* Thematis inauguralis loco ventilandam, materiam certè non minus pulchram quam difficilem: quamprimum autem animum eidem conscribendæ appuli, statim subiit laudandum illud hodierni Illustrissimi Societatis Anglicæ Collegii Regii Symbolum: *Nullius addictus jurare in verba Magistri*: Præclara enim mihi semper & non satis utilis ea visa est philosophandi & disputandi Methodus, quæ

non tam Hominum Autoritate, quam Naturæ lucubnixa, solutè & liberè in Vero inquirendo versatur, iiq̃ue imprimis mihi laudandi videntur, qui nulli sapientium sectæ sese addicunt, illudq̃; pythagoricum *IPSE dixit* exulare faciunt, sed veritatem potius magna industria studioque conquirunt; nihil enim Viro Erudito magis dignum esse arbitror, quàm iis assentiri, quæ aut vera esse, aut quam proximè ad veritatem accedere, ipsa duceratione cognoverit, itemq̃; ab iis assensum cohibere, quæ vel incerta vel falsa esse eadem ratio demonstraverit, jurata siquidem fides & iniqua Autorum admiratio per tot secula non parum Medicis incrementis obfuit ; Quapropter cùm & hodiè in Medicina adhuc nihil magis arduum ac cimmeriis tenebris involutum reperiatur, quàm ipsa febrium præsertim malignarum Natura & Essentia; de qua Veterum pariter ac Recentiorum scripta si consulantur, dissidentes, imò quot capita tot sententiæ inveniuntur, adeò ut quem in hoc labyrintho sequi debeam vix constet, idcirco *nemini* ut Senecæ verbis, *utar, me mancipavi, nullius nomen fero, multum magnorum Virorum iudicio credo, aliquid tamen & meo vendico.*

Hinc

Hinc sepositâ gravissimorum Virorum autoritate
 & mihi integrum fore spero libertate philoso-
 phandi frui, meamq; circa febrium doctrinam hy-
 pothesin, *Ratione & Experientia* tanquam veris &
 solidis principiis suffultam proponere, utpote ex
 qua omnia Dissertationis hujus phænomena
 sufficienter explicari posse firmiter mihi persua-
 sum habeo, facile autem veniam me impetratu-
 rum existimo, si in arduo & difficili hoc negotio
 Eruditorum expectationi ex asse satisfacere ne-
 queam, præprimis cum adhæc etiam nimia festi-
 natio imaturiorem prolem acceleraverit, adeò
 ut omne quicquid obvium factum ex memoria
 statim in has chartulas conjicere coactus fuerim,
 quæ ut B. L. æqui bonique consulturus sit roga-
 tum velim. Interim D. T. O. M. supplex
 precor, meis ut adsit conatibus, illisq;
 ex alto benedicat.



is, modò internis, modò externis oriundus, per maculas diverse coloris se manifestans.

IV.

Nolo hîc proluxior esse in explicando genere Definitionis, ne hisce minutiis B. L. nauseam moveam, nullus dubitans, quin quilibet in arte nostra versatus sub hoc titulo statum corporis p. n. complectatur.

V.

Succedit itaque serior disquisitio de *Parte affecta*, illa autem communi suffragio à toto antiquorum choro statuitur Cor, cui, quicquid sanitatis, quicquid vigoris, quicquid denique vitæ reliqua habent viscera, sanitatis veluti vigoris ac vitæ caturigini in acceptas referunt; & quemadmodum illud sit ons caloris nativi, sic etiam ex eo toti corpori calorem p. n. communicari arbitrati, inibi febris formalitatem capiunt, vid. *Rolfinc. Method. cog. & cur. febr. gen.* Verùm cum nunquam apud me tantum poterit præconcepta opinio, ut tiam sine ratione valeat autoritas, mihi ignoscet Veneranda antiquitas, quod hoc in passu illius partes sectari non liceat. Cordis enim vitalitas & prærogativa præ reliquis visceribus b iis supposita, nondum firmis rationibus demonstrata est, nò plurima experimenta potius evincunt, cor omnem suam ctivitatem & operationem non ex se, sed ex influenti spiritu enerari, eoque duntaxat nomine vitalitatis reddi particeps; si nim influxus illius spiritus per paucula temporis momenta ufflaminetur, à motu cessat & æque torpidum ac immobile vadit ac alia corporis pars, quod experimenis confirmant *Wil. Anat. Cerebr. c. 24. Louver Tr. de Corde c. 7. p. m. 91.* imò idem in collegio experimentalis Anatomico Excellentissimus Bohnius ad oculum demonstravit, ubi scil. statim à ligatura nervis injecta nnis cordis motus cum respiratione ac vita sublatus fuit; sic am *Borellus in tr. de Motu Anal. Part. 2. p. 189.* periculum fecit

ac Thermometrum Cordi vivo applicavit, exploraturus an ibi notabilis calor deprehendi posset, nullam tamen majorem elevationem liquoris à corde quàm aliis visceribus observavit *Honor. Fabri epist. 1. p. 47.* Erit igitur non tanta nobilitas cordis, quantam hactenus sibi quidam persuasi sunt, præprimis si verum est, quod *Bartholinus* habet de *Pulm. Subst. & Mor. p. 77.* animalia respirare posse evulsò corde, & canem cui cor extractum fuerat, vulnere iterum deligatò, latrasse atque superstitem fuisse. Quoniam itaque cor præ reliquis visceribus in vitalitate & calore nullam habet prærogativam, prout hactenus demonstravi, hinc etiam illa huic hypothese superstructa, sponte sua ruunt.

VI.

Ex Recentioribus nonnulli pro subjecto & sede hujus febris agnoscunt perturbatam sanguinis mixturam; Verum cum & hæc hypothesis iisdem difficultatibus prematur, nec illi meum apponere possum symbolum, quatenus *primò* nullis rationibus persuaderi queo, adesse in sanguine tanquam corpore fluido determinatam particularum relationem & habitudinem ad se invicem, cum hæc conditio potius in solidis & firmis quàm fluidis corporibus inveniatur, eò ipsò enim quo fluidi conceptum sibi quis formet atomorum varium motum & miscelam sibi concipiat necessum habet; aut si non velint ut fidem ipsis derogem, demonstrent rogo, quemnam situm & dispositionem in statu nat. hæ sanguinis particulæ servant, & quæ textura ipsis in p. n. competat, quidque simul illud sit quod essentialem illarum modificationem immutare valeat? Nec *secundò* intelligo, etiam si gratis illis hanc sanguinis mixturam concederem, quæ febris inde oriri queat, cum sæpius in sanguine effervescentiam seu tumultuosam particularum motum annotemus, sine insequente febre, imò ab ipsis talia nonnunquam remedia in auxilium vocantur, quæ sanguinis particu-

adhuc minus confundant qualia sunt salia volatilia &c. Nec
Tertiò deniq; symptomatum ætiologiam sufficienter hujus hy-
potheseos Patroni explicare valent.

VII.

Perspectis itaque aliorum opinionibus nunc etiam
meam proponam, unumquemque enim suo ingenio abundare
facilè concedere possum : Dictum autem fuit §. 3. febrim pe-
techialem esse morbum spiritus nostri vitalis, antequam igitur
ad ipsa Morbi Penetralia accedam, melioris intellectus
gratia pauca de hoc spiritu commemoraturus sum; scias itaq;
non nisi unicum me in homine admittere spiritum omnium
functionum Rectorem atque Præsidentem neq; moveri contraria
quorundam sententia, triplicem vel quadruplicem statuen-
tium, illorum enim assertum partim precario, hinc ruinoso ni-
titur fundamento, partim etiam Entia præter necessitatem
multiplicat. De cætero, qui ulterius etiam meam de Natura
& essentia hujus spiritus opinionem, circa quam non adeò le-
vis momenti rationes sed experientiæ innixæ traduntur, scire
desiderat, adeat *Illustr. Dn. Boyle Tract. de Atmosph. Corp. p. 2. Ex-
cell. Dn. D. Rivinum, Patronum & Præceptorem ætatem colendum
Dissert. de spiritu haminis vitali c. 2. §. 8. 9. Kircher. Iter exstat.
de glob. terræ, Dial. 2. c. 4. p. m. 85. Willis Anat. Cerebr. c. 2. p. 53.
Helmout. Arch. fab. §. 4. Charleton Tr. Of. Life p. 404.*

VIII.

Quemadmodum autem spiritus hic Rector totius nostræ
Machinæ Hydraulicæ & rota quasi suprema est, quæ reliquas in
hac artificiosissima structura circumgirat, adeoque sic vitæ o-
mniumq; operationû primus existit Autor, ita è contrario suf-
flaminatâ non nihil illius elasticitate & inhibito seu limitatô
quadantenus radiofo ejus influxu cessat sensim sensimque Ma-
chinæ activitas, & prout hætenus status n. sic & postea p. n.
primarium & adæquatum evadit subjectum, in eo siquidem

ferè omnes corporis nostri morbi præprimis Archeales, inter quos & febres, præsertim malignas refero, altas sæpius agunt radices: Febrium enim Naturam concipio in motu spiritus nostri p. n. jam à peripheria ad centrum, jam à centro ad peripheriam concitato à causa nunc materiali nunc ideali oriundo: Jam autem cum Febris Petechialis gradu symptomatum saltem à cæteris differat, nullam ipsi excogitaveris aliam partem effectam, quæ minores patiatur ambiguitates, & ex quo fundamento omnium phænomenorum inferius dicendorum ratio curatius explicare liceat quam hunc ipsum spiritum.

IX.

Ast ne grati hoc meum assertum fumere videar triplici brevi tamen modo illud planum reddam: Urgeo itaque *primò* Animæ pathemata, quatenus Practicorum Observationes testantur multos nausæâ mœrore, terrore, ac Ira sive exandescencia hujus spiritus in febres malignas incidisse; passionibus autem has animæ, ut facile omnium consensum adipiscar à corpore ut tali, quippe in functionibus suis tantum instrumentaliter & passive se habente, præstari, nemo affirmare audebit, sed majori veritatis luce eas effectus principii cujusdam activi & vitalis pronuntiabit; Ego autem ut ex § 7. constabit cum præter unicum spiritum nihil aliud corpori regendo præesse arbitrer, tandem ex infallibili consequentia eum optimo Jure sedem & partem affectam appellari colligo.

X.

Secundò ipsa symptomata febrim hanc concomitantia, nil aliud, quàm affectum spiritum evincunt: Ordine itaq; illa omnia, simulque eorum rationes breviter exhibebo. Quid quæso subitaneacitraque manifestam causam prostratio Virium, conjuncta cum anxietate præcordiorum insigni, insolitaque inquietudine & jectigatione corporis aliud demonstrant?

strant? quam spiritum satis imbecillem ac debilem omnes enim nostri corporis vires, unice ab hoc spiritu vitali dependent, ita ut cuncta quæ illas dissipant, spiritum etiam destruere observemus, v. g. Veneris abusus, motus nimii, hæmorrhagiæ insignes, dolor, &c. præsertim animæ pathemata, ira, terror, &c. Quemadmodum ipsemet recordor cujusdam, qui ex inopinato gaudio tantum virium lapsum passus fuerit, ut animam saltem egerit: Cur itaque dubitamus eum pro parte affecta agnoscere?

XI.

Quapropter haud erit difficile omnium symptomatum ætiologiam vel ex p. n. spiritus vitalis motu, vel illius defectu & desperatione deducere, ille enim, dum à causis mox commemorandis destruitur, statim, ubi sui defectum & imbecillitatem sentit, anxius & timidus est, ne huic malo perferendo impar evadat, omnem itaque navat operam, ut ingratum & molestum hunc hospitem è corpore ejiciat, idcirco hinc & inde tumultuoso & tremulo fertur motu, quam continuam & non interruptam motionem non potest non insolita inquietudo & jectigatio corporis ut & agrypnia insequi, sicuti non minus ejus defectus & imbecillitas, anxietatis præcordiorum, cardialgiæ summæ, singultus, spirandi difficultatis, cordis palpitationis & tremuli motus, lipothymia, syncopes, convulsionum &c. Autor existit, quatenus scil. in omnibus hisce recensitis symptomatibus spiritus debilis est, & fibris rite explicandis non sufficit, hinc dictæ partes spasmodicam affectionem contrahunt, prout eadem symptomata in V. Sectione, Hæmorrhagia larga, mœrore, terrore, studio & amore nimio extremoque senio, imò instante morte deprehendimus, ibi autem spiritum defectum adesse, quilibet, ni studio, contradicere velit, affirmabit.

XII.

Tertiò denique dictis non parum roboris accedere videtur, si ipsorum in hoc febris remediorum operandi rationes paulò intimius consideremus, omnia enim medicamenta vel continuum & irregularem hujus spiritus motum sistunt, sicque quietem ipsi conciliant, vel defectui illius sub analepticorum nomine medentur, vel desperabundam hanc Ideam particulis suis spirituosis peregrinâ Idea signatis, illi eximunt, prout id inferius in curatione videbimus.

XIII.

At cum non omnis statim spiritus nostri vitalis Morbus febrempetechialem constituat sed ille saltem, qui præter subitaneum virium lapsum, imbecillitatem ac infirmitatem præcordiorum, anxietatem ac desperationem & jectigationem corporis summam ab inquietudine hujus principii, per maculas & efflorescentias diversi coloris hinc & inde in corpore sistit. In hac itaq; spiritus conditione febrium malignarum naturam & essentiam concipio, malignasque eas dicendas autumo non ob humorum & causarum pravitatem, sed potius ob affectæ partis excellentiam & nobilitatem, nam etiam si istiusmodi hic humorum pravorum existentiam sæpius per exanthemata & efflorescentias se manifestantem haud in dubium vocem, tamen in quæstione adhuc est, annon potius dicti humores ansam præbeant febribus malignis, aut productum illarum audiant, quam ut ipsam malignitatem constituent, quatenus nonnunquam symptomata febribus malignis consueta sine omni humorum vitio annotamus, & econtra humorum pravitas sine hisce symptomatibus observatur, ut itaque intuitu horum verosimilius mihi videatur malignitatem in principio nostro vitali quærendam esse. Plura qui desiderat, adeat *Excell. Dn. D. Rivini Dissert. de Febr. malign.* temporis enim angustia, quâ premor prolixiorum diductionem mihi interdicit & festinare jubet.

XIV.

Sub malignæ autem febris tanquam generaliori vocabulo cum latitudo aliqua seu plures ejus species deprehendantur, constituenda erit differentia, quâ nostra Petechialis à reliquis differat; illam autem in definitione dixi maculas, diverso sub schemate in corpore nostro, præprimis verò in dorso pectore cervice & lumbis conspicuas; partes enim istæ dum semper calidæ detinentur, tubuli pororum laxantur & sic patuli magis fiunt, facilioremque aditum massæ sanguineæ appellenti concedunt, cum è contrario aliæ corporis partes aëris injuriæ magis expositæ, constringuntur, liberiorque sanguini affluxus denegatur. Modum verò, quò efflorescentiæ seu maculæ hæ generantur, breviter sic mihi concipio; nimirum M. S. dum vel à sufficienti adhuc spiritus robore, vel medicamenti resolvitur ac attenuatur sicque ad peripheriæ corporis glandulas miliares circulari apta redditur, ratione suæ acrimoniæ super incumbentem epidermidem vellicat, quam vellicationem ob dolorosam sensationem crispatura fibrarum insequitur & materiæ hujus portiunculam includit, quæ postmodum format istiusmodi circulum seu maculam nunc roseam, nunc saturate purpuream, luteam, viridem, cœruleam, violaceam & nigram, prout nimirum sanguinis massa plus minus corrupta est.

XV.

Formalitatem & subiectum Febris Petechialis explicatum nunc excipiunt Causæ, quarum evolutionem ad felicem morborum curationem instituendam perquam esse necessariam, nemo cordatorum Medicorum inficiabitur; Quo itaque & ego eò felicius & facilius medicatricem huic morbo admove-re queam manum, operæ pretium erit in eruendis hujus febris causis esse sollicitum; Duplices autem illius causas facio, externas alteras, alteras internas.

XVI.

Causas externas constituunt animæ pathemata, quæ profectò sunt illæ Depopulatores nostri principii vitalis, quàm facile enim terror vehemens v. g. à spectro, item ira & excandescencia, nausea concepta, mœror ob jacturam bonorum, conjugis interitum, febres malignas accelerare queant superius §. 9. dictum fuit, idcirco cum brevitati litandum sit, ulteriori explanationi supersedeo ; Ad internas verò causas, refero cruditates varias, præsertim autem biliosas in ventriculo stabulantes, vermes, lochiorum suppressionem, ut & tributum lunare deficiens, cacochymiam scorbuticam, & MS. nunc à jam recensitis pathematibus aut aliis causis v. g. venenis assumptis coagulata, nunc resoluta; Omnes autem dictæ causæ non aliter suam operationem exerunt, quam ut spiritui huic Ideam tristem & desperabundam imprimunt ; Ille enim, causarum morbificarum acrimoniâ, fibrillas nerveas vellicante, ob molestam sensationem in motum raptus, omnibus viribus earum remotionem molitur, simulac autem materiæ peccantis quantitatem vires ejus excedere, illiusque laborem frustraneum esse, ac omnia ab eo incassum adhiberi, interim vero morbum crescere seq; decrescere sentit, viribus suis diffidere incipit, & ob morbi diuturnitatem ac molestiam nimium defatigatus, animum deponit & desperabundus evadit.

XVII.

De cœtero etsi nonnulli harum febrium statuunt putredinem & putridas eas vocent malignamque ibi humorum corruptionem sibi imaginantur, plane tamen non video, an ulla ratione in MS. putrefactio concipi queat, dum nesciunt, nunquam liquorem quiete destitutum putredinem subire, quem autem fugiet MS. celeriter satis suum circulum peragere & tam locali quam intestino motu moveri? Imò quamvis & hoc tanquam suppositum suis Patronis concedatur, nihilominus

tamen

amen nunquam putredo calorem producet, prout id carnes, herbae, pisces aliaque satis testantur, quae omnia quidem putrescentia molesta satis effluvia olfactui communicant, nunquam tamen in hisce putrefactis ullum vestigium caloris observabis.

XVIII.

Paucis itaque adhuc, Recentiorum quorundam sententias circa febris petechialis aetiologiam mihi proponere concessum sit, quidque veri vel falsi illis subsit demonstrare. Cautus inter illos extollit *Celeberrimus Sylvius magnum illud Batavicum decus*, is autem *Prax. Med. lib. 1. cap. 33. §. 7. Sal volatile cre pro causa februm malignarum habet, quod glandularum liquorem subacidum concentratione noxia enervet*. Verum cum acius ille liquor glandularum facilius supponatur quam probeatur, & partim falis illius volatilis in corpore humano existentia satis adhuc dubia, partim contra illud cum *Excell. Dn. D. Rivino Diss. de Febre malign. §. 16.* urgeri possint animae pathemata, de circò & hujus hypotheseos causam, suadente id ipsa Sylvia modestia, negligo. Sed doleo profectò talem me elegisse materiam, ubi assensum tot & tantis Viris præbere eorumque discipulum me profiteri veritas obstat, ita ut nec *Clarissimi illius Angli, Willisium* loquor, opinionem amplecti liceat, illum nim dum sanguinè miasmate venenoso inquinatum asserit, eadem premit difficultas, cur, enim si aër ab omni contagio venenoso liber, unus vel alter saltem ex mœrore aut visò spectrò febris petechiali succumbit? Mitto itaque omnes has recensitas opiniones, donec melior aedoctus, contrariumq; sententiæ meae mihi demonstretur.

XIX.

Sepositis jam causis, *Doctrina Signorum* prodeat, quæ eluti faces in itinere Medico accensæ, five quis *Diagnosin* five *Prognosin* respiciat, viam monstrent. Signa itaque *Diagnosti-*

gnostica febris hujus malignitatem demonstrantia, sunt uti
 sæpius jam dum commemoratum fuit, subitanea virium pro-
 stratio, præcordiorum anxietas, ut & inquietudo corporis
 summa; Petechiarum autem Pathognomonicum signum sunt
 maculæ in corporis peripheria prorumpentes. Summa tamen
 hîc cautione opus est, ne ex solis maculis in cute apparenibus
 Medicus judicium formet, easque pro Petechiis vendidet, cum
 & similes in scorbuticis subjectis annotantur, imò pulicum
 morsus interdum etiam illarum faciem mentiantur. Ne itaq;
 & hæ maculæ Medico imponant, ut ipsas pro Petechias ha-
 beat, illarum magnitudinem probè attendat, quippe Pete-
 chix maculis scorbuticis semper majores observantur, & len-
 tium figuram fere repræsentare solent, unde lenticularem fe-
 brem etiam dixerunt. Ast cum hæ ipsa jam tradita signa Me-
 dicum decipere queant, certior erit, si partim propter sympto-
 mata illa exanthemata hæc antecedentia dorsi scilicet & ca-
 pitis dolores lancinantes, præprimis autem circa vespere
 incrementa capientes, conjungat, partim etiam illa, quæ ma-
 culas has concomitari solent, attendat, dum nimirum in re-
 missiori gradu anxietas inquietudo & cephalalgia &c. adsit.
 Denique febrem hanc adesse Medicus concludet, si jam dicta
 præcordiorum anxietas cum inquietudine aliisque sympto-
 matibus redeat.

XX.

Sequitur itaque in Ordine *Prognosis*, quam juxta rece-
 ptum metiar Ordinem, ubi quid de Salute ægri sperandum,
 scrutabor, insimulque mortis criterium adjungam; Ast cum
 morbus hic occurrat periculosissimus, & symptomata illius in-
 fida & fallacia facilè Medicum deludant, idcirco hîc se pru-
 dentissimum gerat, nec quicquam de signis salutis & mortis
 absolutè affirmet, sed secundum *Seneca* monitum *libr. 6. de Be-*
nefic. c. 16. pro agroto & fama artis timeat. Præstat igitur hîc præ-
 sagium

lagium potius suspendere, donec vel spiritus vel morbi victoriæ indicia certa se obtulerint, sæpius enim tanta symptomatum vehementia adfuit, ut mortem præsentissimam esse quis dixerit, nihilominus optatus salutis exitus insequutus, è contra plurimi mitiorum symptomatum præsentia è vita disceserunt, adeò ut in hoc passu certialiquid prædicere velle admodum difficile sit. Unde nec audienda est *Hippocratis* sententia *Aphor. Sect. II. 24. Sect. 4. 36. 61.* de diebus criticis in morbis acutis observandis, omni enim destituitur fundamento, & sanæ rationi æque ac experientiæ contrariatur; Interim tamen negandum haud est, si ullum adhuc salutis signum supeditari queat, erit profectò symptomatum recensitorum aliqualis remissio, præprimis si maculæ rubræ in corporis superficie conspiciantur, certò enim indicant spiritum reconvallescere incipere, materiamque morbosam deprehendere vincibilem, hinc sensim sensimque animum sumere, ac de eventu felici prospera quæque sibi polliceri.

XXI.

Quemadmodum autem in determinandis salutis signis Medicum caute agere oportet, ne statim ex hujus vel illius symptomatis remittentia, felicem eventum prædicat. Ita eadem cautione opus erit, ex atrociam symptomatum non subito mortem prælagiendi, quamvis raro fallant. Sic tanquam prodromi mortis observantur, quando prostratio virium, anxietas præcordiorum, indies magis magisque ingravescent, sicuti periculosa admodum, imò lethalis est petechiarum retrocessio, quatenus spiritus qui hætenus summo cum studio in iis expellendis occupatus & defatigatus fuit, & ob hanc quasi reportatâ victoriam animum paululum collegit; acrimonia autem hæc sanguinis dum de novo genus nervosum afficit, eumque ibi adhuc infirmum & lassum ad motum excitat, is doloris ac laboris impatiens desperatus qua data porta effugit ac dissipatur;

Idem periculum indicant maculæ petechiales livido, violaceo & nigro colore conspicuæ, summam enim sanguinis corruptionem demonstrant: Quemadmodum & mala sumitur prognosis, si pateriens de nullo conqueratur dolore, nihilq; molesti sentiat, item si syncope accedat frequentior, oblivio, negligens decubitus, denudatio indecens, & motus convulsivi superveniant. Et tandem pro infallibili fere mortis signo haberi potest singultus aut si æger floccos carpat, vel plicas super lectum explicet, cuncta enim hæc symptomata spiritum satis debilem dicunt, cumq; mox victas morbo suppositurum esse manus, significant.

XXII.

Jam paucis adhuc *Curatio* Febris Petechialis absolvenda restat: Duo autem indicantia occurrunt; *Primò*, Malignitas, seu periculosus spiritus vitalis status; *Secundò*, Massæ sanguineæ vitium.

XXIII.

Malignitatis autem formalitatem cum superius in tribus consistere affirmaverim, in spiritus scil. nostri vitalis imbecillitate, inquietudine, & desperatione, idcirco singulis etiam hisce indicantibus appropriata inquirenda sunt medicamina; Verum cum talis imprimis hic remediorum requiratur apparatus, qui tristem ac desperabundam hanc spiritui ideam eximere & delere valeat, istiusmodi autem auxiliis cum nos destituamur, non miraberis, cur adeo periculosa hæc sint febres, & cur tam raro illius clientes à Medicis restituantur; Imbecillitatis igitur hujus spiritus, cum jam mentionem fecerim, accedant etiam ea, quæ illi mederi solent. Sunt autem illa vulgò sic dicta analeptica frigida, v. g. omnes aquæ refrigerantes, aq. cord. H. S. rosar. ror. maj. plantag. bugloss. borrag. acetos. acetosel. cichor. &c. Item flores & tincturæ harum plantarum: Confect. Alkerm. syrup. bacc. cherm. conf. de hyacinth. moschus & ambra &c. Calida & generosiora remedia,

dia, si æger ea appetat, non deneganda sunt, præsentissimum enim inde sentiet levamen, prout id testantur E. N. C. An. 3. *Obs.* 145. *Barthol. Cent.* 4. *Obs.* 7. cum è contrario in iis concedendis Medicus si nimium rigorosus esse velit, plus obfit, quàm profit, spiritus enim adeò desideratæ rei idea characterisatus est, ut omnem fiduciam & spem recuperandæ sanitatis in eadem ponat, eò quâ si non potiatur, animum deponit, omniaque pejora fient.

XXIV.

Continuum autem illum spiritûs motum & inquietudinem sistunt partim narcotica, partim etiam refrigerantia: Priora enim spiritui vitali torporem inducunt, sicque ad movendum ineptum eum reddunt, imò multum de concepta idea deprædantur; talia autem sunt, Theriaca, Mithridatium, Opium &c. circa ultimum autem hoc remedium imprimis monendum, ne dosi excedatur, & spiritus plane sopiatur. Eundem postea à refrigerantibus quoque expectare licet effectum, utpote quæ illius motum multum remorantur, officio autem hoc funguntur jam præced. §. laudatæ aquæ refrigerantes unâ cum succis, acetos. citr. cydon. rib. berb. omphac. It. spiritus acidi, sulphur. vitriol. salis. Nitrata autem omnem ferè hîc paginam absolvunt, nitrum, v. g. purum & antimoniatum arcan. dupl. &c.

XXV.

Desperationi denique spiritus vitalis cum quoque remediis debitis obviam eundum sit, alterum vero indicans, sanguinis, scil. vitium corrigendum, eundem plane quoad curationem modicamentorum apparatus requirit, idcirco una fidelia sic duos parietes dealbare volui, præprimis cum temporis brevitatis & typographus festinatione Dissertationis admodum geant, hujusque affectus specialio rem curam tradere haud permittant; quapropter ut utrique scopo satisfaciam, co-

mendo instar omnium Diaphoretica, qualia sunt terra figill. bolus Armena, terra lemn. antimonium diaphor. antihect. Poter. cinnab. antimon. bezoar. min. tam simpl. quam composit. &c. imprimis autem si cum acidis, acetis v.g. theriacal. aliisq; spiritibus acidis propinentur, hoc enim remediorum genus cum spiritui priorem Ideam febrilem destruat, & alia eum sigillet, insimulque sanguineam massam corrigat, ad modum conveniens videtur : Cavendum tamen à volatilibus medicamentis, v.g. mixt. simpl. Tinct. bezord. aliisque salibus volatilibus, quippe quæ spiritum saltem desperatiorem efficiunt ; Interim inficias non ibo ab horum usu Medicum quidem celerius has maculas ad corporis peripheriam eliminare, sicque citius suam obtinere intentionem, ast cum etiam illarum retrocessio facile sit metuenda, quatenus sanguinem hæc volatilia & calida remedia nimium fundunt & resolvunt, illeq; facillimo negotio ratione sui celerioris appulsus & fluiditatis maculas has in habitu corporis stagnantes rursus diluere & ad centrum revehere valet, quarum autem retrocessionem postea cephalalgia, dolores dorsi, anxietates, cardialgia pessimaq; symptomata & deliria insequantur, idcirco fixa aliaque sensim & successive operationem suam exercentia hisce volatilibus longe anteferenda sunt.

XXVI.

Ad corporis tandem peripheriam hisce maculis expulsis eò Medicus allaboret, ne illarum retrocessio contingat, interdicit itaque ægro omnem animi commotionem ut & corporis refrigerationem ; retrocessio enim petechiarum quæ nonnunquam ex commutatis indusiis ac lintheaminibus oritur, inde deducenda venit, quod ægrotantes aëri frigidiori corpus exponant, illeque verus recrudescentiæ symptomatum

Autor existat ; Ultimò denique exulare jubeo omnia illa quæ alvum laxare queunt, imò si sponte sua diarrhœa vel aliud alvi profluvium superveniat , quantocius sistatur. Interim hac vice de FEBRE PETECHIALI meam juxta hypothefin per compendium dixisse sufficiat. Hæc itaque L.B. æqui bonique consule , aut si quid novisti rectis istis , candidus imperti, si non, his utere mecum.

DE o fit Laus Honor & Gloria.



POSITIONES.

I.

FErmentum Ventriculi acidum, ut & reliqua corporis nostri partium fermenta, inter non entia referenda.

II.

Visio non fit per modum Camerae obscuræ.

III.

Venena à Medicamentis differunt non operandi modo sed saltem gradu.

IV.

Spiritus noster vitalis minus rectè à nonnullis animæ rationalis instrumentum creditur.

V.

Animam rationalem ad Hominis vitam nil conferre firmiter statuo.

VI.

Fœtus in Utero non chylo sed sanguine nutritur.

VII.

Nullum corpus incurrit in sensus.

VIII.

Vacuum in rerum natura existere posse, imo actu existere, ratio & experientia credere jubent.

IX.

Non datur Generatio æquivoca.

X.

Male in ventriculi & primarum viarum cruditate pituitosa & alia volatilia præscribuntur.

XI.

Conceptio ad momentum determinari potest.

XII.

Alcali tam fixum quam volatile naturaliter non datur.

XIII.

Menstruus fœminarum fluxus non à motu Lunæ dependet.

XIV.

Ex alcali fixo potest fieri volatile.

XV.

Non dantur Medicamenta specifica.

XVI.

Plantasola Aqua Nutriuntur

XVII.

Bitis non alcalina, sed falsa Naturæ est.

XVIII.

Spiritus vini refrigerat.

XIX.

Magisteria, facula, & Aqua destillata omni odore & sapore destituta, ex officina proscribenda.

XX.

Ætites femori applicatus, dum dicitur partum morere, alæ vero admotus, abortum præcavere, phantasticè am operationem exerit

XXI.

Pleuritis absq₃ Vena sectione curari potest.

XXII.

Omnis Medicamentorum operatio est mechanica.

XXIII.

*Formæ rerum naturalium substantiales, nec definiri,ulto minus ratione atq₃ experientia demonstrati que-
at.*

XXIV.

*Fiducia in Medicum multum ad morbum sanan-
em contribuit.*

Sæpe

SÆpe, novum Medicum, metuit qui consulit æger.
 Nec census poscat trux Libitina novum.
 De TE, sed SCHMIDI, tantum sperare dolorem
 Audebit nemo, vivere qui satagit.
 Perge ergò ut Magni calces vestigia Patris
 Atque Tibi Phœbus digna Brabea dabit,
 Quæ ut multis profint, nam mox præclara capeſſes
 Et Febres jugulent, hoc precor ex animo,

Hisce paucis

*Nobiliss. & Clariss. DN. DOCTORANDI peritiam Me-
 dicam passim nunc Epidemica Febri laborantibus
 Lmg. comendat*

MAURICIUS HOFFMANN,
 Med. D. & Prof. Prim. Potentiss. Elect. &
 Sereniss. Marchion. Brandenb. ac Ducum
 Wirtemberg. Reiq; publ. Norimb. Archia-
 ter.

